



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv. Libri Qvinque

Pallavicino, Sforza

Romæ, 1649

Capvt 1. De multiplici Iustitia, & de generali significatione huius nominis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39069

LIBER

QUARTVS

De Iustitia, & Iure.

CAPVT I.

Coly. 4. 155 Paderbornae
De multiplici Iustitia, & de gene-
rali significatione huius
nominis.

I IUSTITIÆ
nomen con-
uenit Iustitiæ
commutati-
uæ, distributi-
uæ, legali, & vin-
dicatiuæ; omnes istæ iustitiæ,
conueniunt inter se, & differunt
ab alijs virtutibus ad alterum
in hoc, quod non mereantur
A ali-

aliquam gratiarum actionem, vel retributionem ab eo erga quem exercentur cum obligatione: etiam si talis obligatio non sit instituta in bonum solius obligati. Constat id inductione: nam licet ei, qui dat eleemosynam pauperi ex obligatione charitatis, debeantur à paupere gratiæ, tamen soluenti debitum, ac non furanti ex obligatione Iustitiæ commutatiuæ neq; gratiæ, neque vlla retributio debetur. Similiter gratia vel retributio nō debetur distribuenti bona communia secundū obligationem præcisam iustitiæ distributiuæ.

2 Ratio à priori, cur non debeantur gratiæ, vel retributio operanti secundum obligationem Iustitiæ distributiuæ, ac

com-

cōmutatiue est, quia natura, bona quædā cōdidit in emolumētū creaturarū rationalium, quæ voluit à quibuscumq. possideri secundum conuenientem portionem: noluit proinde, vt eam bonorum portionem accipiens mediante iustitia commutatiua, teneretur ad quidquā repēdendū; cū eo ipso, natura nō integrè dedisset hæc bona, si accipientes ad aliquid retribuendum obligasset; Voluit præterea natura dari quædam bona communia distribuenda secundum proportionem meritorū, per iustitiam distributiua; quæ similiter vt integrè donaret, immunes esse voluit accipientes ab omni retributionis obligatione.

3 Idem porrò, sed diuersis

A 2 ra-

rationibus verificatur in iustitia
legali, & vindicatiua. Nulla
quippè gratiarum actio, vel re-
tributio debetur à principe ob-
seruantibus leges, & præcepta.
Cum enim principi data sit iu-
risdictio, non in bonum princi-
pis, sed subditorum, iniquum
fuiſſet imponere ipſi onus gra-
tias agendi, vel retribuendi ijs,
qui non transgredierentur leges
conditas in bonum reipublicæ,
non principis; In iustitia etiam
vindicatiua non tenetur puni-
tus gratias agere, vel quidquã
rependere Iudici punienti; tum
quia poena vt poena, cum de-
beat deterrere à culpa, in alium
est puniti; non potest autem
aliquis teneri ad aliquid repen-
dendum pro suo malo; tum
quia eſſet in tolerabilis illa lex,
quæ

quæ obligaret punitum ad recipiendam poenam non modò patienter, sed cum gratiarum actione.

4. Accedit vniuersalis illa doctrina S. Thomæ, quod poena est contra voluntatem puniti, vt quantum ipse excessit, indulgendo suæ voluntati per delictum, tantūdem patiatur contra propriam voluntatem per supplicium. Ergo de natura poenæ non est vt pro illa reddantur gratiæ: nemo enim gratias agit pro eo quod est sibi ingratum. Et quamuis poena aliquando possit esse vtilis punito non solum secundum cōminationem quod est generale omnibus poenis, sed etiam secundum executionem, quod est proprium poenæ medicinalis;

tamen quatenus utilis non habet propriè rationem *pœnæ*; nã *pœna* debet magis deterrere à culpa si ipsa *pœna* imponatur, quam si non imponatur; at verò utile prout utile non habet vim deterrendi. *Pœna* ergo propriè dicta est quidem utilis toti reip. per exemplum; rursus est utilis ipsi punito per antecedentem cõminationem vt diximus; sed est mala illi secundum actualem inflictionem; & ideo condonatio *pœnæ* censetur beneficium.

5 In alijs virtutibus ad alterum est alia ratio: Quædam enim institutæ sunt à natura ad fouendũ mutuum amorem, cuiusmodi sunt *charitas*, *gratitudo*, *pietas*; adeoq; voluit eadem natura vt ex actibus earũ
semper

semper resultet aliqua obligatio gratiæ, & recompensationis in eo in cuius commodū exercentur. Aliæ sunt, quarum actibus exercitis ex obligatione tūc solum non debentur gratiæ, & retributio, cū obligatio est instituta proximè, & cōpletè in bonum solius obligati; cū verò est instituta in bonū alterius semper aliqua debetur gratia, & re compensatio, & per hoc differunt à iustitia, cui ne in hoc quidem secūdo casu debetur vlla retributio, vel gratia vt diximus.

6 Exemplum sit in veracitate, & fidelitate. Potest in his virtutibus considerari duplex obligatio: Altera negatiua, scilicet non loquendi nisi videas verba esse conformiamenti, &

non promittendi nisi velis stare promissis: quæ obligatio est instituta in bonum obligati, ut nimirum possint alij prudenter credere loquenti, & fidere promittenti; stultè enim crederetur si liceret mentiri, & stultè fideretur si liceret non implere promissa. Cùm ergo aliquis implet hanc obligationem negativam, & ne fallat, neque loquitur, neque promittit; nulla debetur illi gratiarum actio, & retributio, quia operatur ex obligatione instituta proximè, & completè in bonum solius obligati. Altera obligatio est positiva, & quã volũtariè suscipimus loquendo, & promittendo, qua obligatione tenemur ad manifestandã per talẽ locutionem, scientiam veram, & ad faciendum

dum

dū quod promittimus: & quia voluntariè in bonum audientis loquens, & promittēs suscipiūt hanc obligationem, ideò pro vera communicatione scientiæ, & impletione promissi debetur illis aliqua gratiarum actio, vel retributio.

7 Stat ergo, quod prædicatum à nobis assignatum tanquam proprium iustitiæ, nulli alteri virtuti conueniat. Coeternam non negamus obseruantibus iustitiam legalem deberi præmium; sed ex iustitia distributiua: adeoque sine iactura præmiantis, & ab eo, non quatenus est is, in cuius honorem subditus exequitur iustitiam legalem. Nam si distributor præmiorum publicorum esset distinctus à legislatore cui subdi-

tus paret, eodem modo obseruanti deberet præmia distributor, neutiquam verò legislator. Præmia enim non sunt priuata retributio boni accepti, sed publica remuneratio cuiuscumq. virtutis: & ità Deus remuneraretur naturaliter (vt præscindamus hic à promissione supernaturali, & liberali) obedientiã. Fatemur tamẽ, eũ nõ aliter quàm tanquã distributorem tunc remuneraturum etiam actus supererogationis, cum sit incapax recipiendi beneficij, adeoque debendi gratias, vt infra. Sed adhuc religio, charitas, & similes virtutes ad alterum, quatenus respiciunt secundariò alios à Deo merentur gratias, & in hoc differunt à iustitia.

8 Et sanè quantum spectat
ad

ad publicā retributionem, hæc debetur non solum pro obseruantia iustitię legalis, sed etiam iustitię cōmutatiuæ. Debetur enim exercitio cuiuscumque virtutis. Sed in hoc differt hæc retributio ab ea, quæ debetur ob exercitia aliarum virtutum ad alterum, quod hæc secunda debetur tanquam à priuato, & tanquam ab eo in cuius bonum peculiare eiusmodi virtutes exercentur. Et propter eandem rationem exercenti iustitiã debetur honor, & laus. Hæc enim sunt aliquid publicum, & non priuatum.

9 Quantum verò spectat ad religionem erga Deum in operibus supererogationis, quæ non pertinent ad iustitiam legalem, & tamen pro illis Deus

nō debet retributionē nisi tan-
quam distributor bonorum pu-
blicorum, vt supra diximus, ra-
tio vltior esse potest, primò in
finitum dominium Dei, ratio-
ne cuius nemini quidquam po-
test debere quacūque propria
obligatione. Atque vt ait Au-
gustinus primo Confess. cap. 4.
reddi debita nulli debens, & vt
docet S. Thom. 1. 2. q. 111. ar. 1.
ad 2. non ita datur debitum in
Deo vt Deus creaturæ obligetur,
sed potius in quantum creatura
debet subijci Deo, vt in ea diuina
ordinatio impleatur, quæ quidem
est vt talis natura tales conditio-
nes, vel proprietates habeat, &
quod talis operans talia cōsequa-
tur. Non ergo Deus est capax
recipiendi in se vllum debitum
erga creaturas, sed per suam
volun-

voluntatem efficacem cui omnes creaturæ obsequuntur, redditur debita vna creatura alteri creaturæ quatenus Deus ordinavit, seu in prima institutione nature, seu postea in sua gratuita promissione, vt vna creatura alteram possideret.

ro. Secundo in Deo peculiaris ratio est amplitudo beneficiorum præcedentium, quibus nos præuenit, & pro quibus nõ possumus æquale reddere. Retributio enim non debetur ne pro exercitio quidem aliarum virtutum ad alterum quando illa persona, in cuius gratiam exercentur, liberaliter antea multò plus dedit quàm accipiat. Cæterum si Deus esset capax obligationis, & nõ præuenisset nos per beneficia maiora,

iora,

iora, aliquid deberet retribuere
ex actibus supererogationis,
quod nullo modo deberet ex
mera obseruātia iustitiæ legalis
Et hūc fortasse spectāt illa Luc.
10. *Cū hæc omnia feceritis dicite
quia serui inutiles sumus, quod
debuimus facere fecimus.*

11 Iustitia prædicatur de
quatuor assignatis iustitiæ spe-
ciebus analogicè per analogiã
attributionis in ordine ad iusti-
tiam commutatiuam, quæ est
principale analogatum. Iustitia
enim legalis ideò dicitur *iusti-
tia*, quia Princeps ius habet iu-
stitiæ commutatiuæ ad feren-
das leges, & ad cogendos
subditos ad earum obseruatio-
nem. Similiter iustitia vindi-
catiua dicitur *iustitia*, quia iu-
dex habet ius iustitiæ commu-
tatiuæ,

De Iustitia, &c. Cap. I is
tatiuæ, vt poenam decernat, &
ne sibi resistatur; Iustitia distri-
butiua dicitur *iustitia* quia ad-
ministrato obligatur ex iustitia
commutatiua in rem publicam
ad bona communia distribuē-
da secundū proportionem me-
ritorum. Quia ergo iusti-
titiæ nomen princi-
paliter conuenit
iustitiæ com-
mutatiuæ, hæc est
prius explican-
da.



CAI